S. E. HVPPÉ

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR PHILOSOPHIAE DOCTOR LIBERALIVM ARTIVM MAGISTER
STATISTICO BEROLINENSI VRBIS OFFICIO H. T. PRAEFECTVS

DE CIVITATE DISCRETA SIVE DE AMERICAE HELVETIAE GERMANIAE HODIERNARVM IN IVRE STATV

„EX FACTO ORITVR IVS"
DECISIONS OF THE SUPR. COURT OF THE U. S.
XVII H. 498

OPERIS MAIORIS
„QVAESTIONES IVRIS FOEDERALIS"
INSCRIPTI PRAELOQVE PARATI SPECIMEN PRAEMISSVM
PRODROMVS

BEROLINI 1875
STUHR'SCHE BUCH- UND KUNSTHANDLUNG (S. GERSTMANN)
UNTER DEN LINDEN 61

GEORGIO BANCROFT

QVI PRIMAE CIVITATIS DISCRETAE ORIGINES PRIMVS CLASSICE ILLVSTRAVIT

NOVISSIMAE FACIENDAE FACTAE FAVTOR

FVIT EST FIDELISSIMVS

SACRVM

VIRO ILLVSTRISSIMO

GEO. BANCROFT

23 H STREET

WASHINGTON

D. C.

S. E. HVPPÉ

SALVTEM

Ex illo temporis momento quo Tu Vir Illustrissime Supremae in Atlantide Curiae sententias summa liberalitate praesto mihi fecisti iurisprudentiae uestrae classicae monumentum „aere perennius“ erigere propositum habebam. Qui autem sermo tali proposito assequendo aptior aeterni Romani iuris aeterno idiomate?

Quo Bodini Grotii Pufendorfii utebantur semper semperque hic stilus ad iuris philosophiam aeque atque ad iuris positiui notitiam potissimum comparantem internationalem elegantius excolendam maximum ualebit. Genera speciesque politicarum unitatum primus accuratius classificans scientiae hodiernae naturalis exemplum formaliter materialiter secutus meliora latinis nomina num unquam inuenire potui?

Itaque

„QVAESTIONES IVRIS FOEDERALIS"

latine conscriptas iamiam praelo paratas quibus Vir Illustrissimus Georgius Beseler inter Germanistas qui uiuunt certo primus rectam doctrinam non minime amplificari persuasum sibi esse per epistulam edixit latine in lucem dabo simulatque huius editionis diligentissime redigendae otium mihi erit.

At ne hoc die anniuersario pro uita Tua grauissimo sine dono apud Te consistam illius operis maioris quo Virorum Jay Story Marshall Taney de iure foederali uniuerso non solum Americano quoniam idem quod in iure priuato Romanorum publico Britannorum in iure foederali Americanorum efficiunt principia construendo explicando optime meritorum dignae laudes uel ab inuito celebrandae essent prodromum hasce qualescunque pagellas haud sine ea quae par est reuerentia Tibi facile offero. Vale!

Dabam Berolini Id. Ian. 1875.

PRAEFATIO.

Tenue quod hisce exhibemus foliunculis specimen libri quem „De Iuris per Communem Potestatem Singulis in Ciuitate Discreta Ciuitatibus Dicendi Iure“ conscriptum habemus caput est secundum. Ipsa autem haec disquisitio partis practicae uicem habet ad „Librum de Maiestate Duplice Singularem“ theoreticum, qui simul cum ea „Quaestiones iuris foederalis“ nostras aliqua ex parte nonum in annum pressas efficit. Atque ut melius quid ualeat in systemate nostro haec quae sequitur portiuncula intelligas et huius et illius libri epitomen praelo mandauimus.

Illustrationes multas graphicas, quas ad rem dilucidiorem reddendam excogitauimus, editioni posterae reseruantes huic practici libri nonae, quam ob adnotationum relatiue minimam copiam typis exprimendam elegimus, parti non addimus.

Reliquum est ut utriusque libri fontes hoc loco nominemus. Nempe a Viro Illustrissimo Georgio Beseler per cuius doctrinam optima de rebus Americanis notitia imbutos nos esse profitemur, ut summae Ciuitatum Vnitarum Curiae sententias perlegeremus admoniti legati Bancroft consulis Kreismann ciuis Monjeau Americanorum ope duo milia sententiarum excerpsimus, praeterea omnes ceteros de hac re iudicatores legislatores scriptores uersantes.

ABBREVIANTVR

C.C.	Ciuitas Concreta. Einheitstaat. Consolidated Government.
C.D.	Ciuitas Discreta. Bundesstaat. Federal Government.
P.C. uel C.P.	Communis Potestas. Centralgewalt. Common Power.
S.C.	Singulae Ciuitates. Einzelstaaten. Several States.
S.I.	Sacrum Imperium. Deutsches Reich. German Empire.
C.V.	Ciuitates Vnitae. Vereinigte Staaten. United States.
C.A.	Coniuratio Alpina. Eidgenossenschaft. Swiss Federation.
M.D.	Maiestas Duplex. Doppelsouveränetät. Double Sovereignty.

Ciuitatis concretae resp. discretae nomina per mathematices analogiam a nobis inuenta. Quippe apud matheseos doctores quantitas discreta quantitatem quantitatibus compositam eo sensu ut quantitates nouam quantitatem efficientes quantitatum propriarum uices amplius gerere uideantur significat.

INDEX CAPITVM

AD

LIBRVM DE MAIESTATE DVPLICE SINGVLAREM.

Praefatio.

Epitome.

Prooemium.

Pars Generalis.

Prodromus.

De Ciuitate Discreta.

Caput A.

De Maiestatis Duplicis Possibilitate.

1. De Maiestatis essentia.
2. De Maiestate diuidunda.

Caput B.

De M.D. in Ciu. Discr. Realitate.

1. De C.S. auctoritate.
2. De S.C. auctoritate.

Caput C.

De M.D. Necessitate.

1. De competentiis exclusiuis in C.D.
2. De competentiis concurrentibus in C.D.

Pars Specialis.

De Maiestate in Ciuitatibus Americae Vnitis Duplice.

Exordium.

Libellus Primus.

De Amerieanorum in M.D. Ratione Status.

Caput A.

Quomodo M.D. oriatur.

1. De M.D. per pactum creata sed ex C.P. voluntate stanti.
2. De M.D ex terra redundanti.
3. De M.D. ex hominibus redundanti.

Caput B.

Qualis M.D. sit.

1. De C.P. Maiestate.
2. De S.C. Maiestate.
3. De duabus Maiestatibus complicatis.

Libellus Secundus.

De Americanorum in M.D. Ratione Gubernandi.

Caput A.

Quomodo M.D. fungatur.

1. Quomodo iure legum ferendarum fungatur.
2. Quomodo iure administrandi fungatur.
3. Quomodo iure iudicandi fungatur.

Caput B.

Quibus rebus M.D. fungatur.

1. De utriusque Maiestatis iuribus circa humanitatem excolendam.
2. De utriusque Maiestatis iuribus circa oeconomiam excolendam.
3. De utriusque Maiestatis iuribus circa politica excolenda.

INDEX PARAGRAPHORVM

QVI

LIBRO „DE IVRIS PER COMMVNEM POTESTATEM SINGVLIS IN CIVITATE DISCRETA CIVITATIBVS DICVNDI IVRE“ CONTINENTVR.

Prolegomena.

Caput Primum.

I. Exordium.
§ 1. De scribendi huius libri ratione.
§ 2. De Methodo Inuestigandi.
§ 3. De Methodo Exponendi.
II. Sermonis explicatio.
§ 4. De Sermone Latino.
§ 5. De Vocabularum Irregularitate.
§ 6. De uerborum significatione.
§ 7. De speciebus reipublicae discretae.
§ 8. Abbreuiaturae titulorum libris citatis impositorum.
§ 9. Abbreuiaturae nominum Americanarum ciuitatum.
§ 10. De interpungendo.
III. De fontibus.
§ 11. De Constitutione Americanâ per S. Curiae Decisiones modo recte illustratâ.
§ 12. De Legibus et Legislatorum Orationibus.
IV. De scriptoribus.
§ 13. De scriptoribus Americanis.
§ 14. De scriptoribus Europaeis qui nostram quaestionem attingunt.
Sequitur: Pars generalis qua exponitur titulus libro impositus.
(Pars analytica.)

De Ciuitate Discretâ.

Caput Secundum.

I. Exordium.
§ 15. De legitimo notionis „Ciuitas Discreta“ tanquam tralaticiae studio.
§ 16. De errorum in notione possibilitate.

§ 17. Germania arctius foedus, quam Atlantis Heluetia.
§ 18. Quia animum collectiuum, qui nunc est, non attingit, Confoederationis Francof. similitudo non nocet.
§ 19. De uariis rp. discretae speciebus non libenter disseritur.

II. Rp. discretae realis figura exquiritur.
§ 20. Foedera sine animo collectiuo plurima fuerunt.
§ 21. Foedera perpetua Antiquorum.
§ 22. Foedera Heluetiorum Batauorum.
§ 23. Sacrum Imperium Romanum.
§ 24. Foedera in Nouo Mundo ad C. Vnitarum exemplum ficta.
§ 25. Coniurationis Helu. et S. Imperii a. 1848. 1867 mutationes.

III. Quid commune habeant tres figurae inuentae.
§ 26. Tres quae quaestioni subsunt rp. discretae figurae similiter quaeque erga peregrinos unitae.
§ 27. Potestatem uere ciuilem habent.
§ 28. Potestas haec competentiam proferre potest.
§ 29. Potestatis huius expressio similis ubique.

IV. Quid differant in ratione status.
§ 30. Nuntiorum popularium in Atlantide ad ciuitates restricta electio.
§ 31. In secundo ordine diuersa compositio.
§ 32. Diuersa igitur rp. discretae structura.
§ 33. Germanici rerum modi laudes.
§ 34. Quantitatiua sunt discrimina.
§ 35. Primi ordinis diuersitas in existentia.
§ 36. Maiestatem communem, quae in tribus est rp. discretis, uarie repraesentant primi ordines.
§ 37. Ius legatorum maiestati residuae in S. Imperio seruatur singularitas.
§ 38. Variae tres species nomina accipiunt.

V. Et uarie et aeque ratio gubernandi se habet in tribus speciebus.
§ 39. Gubernandi modus in C. D.
§ 40. Gubernandi obiecta in C. D.

De Communi Potestate.

Caput Tertium.

I. De rei notione.
§ 41. Quid sit C.P.
§ 42. E singularum ciuitatum maiestate seiuncta maiestas per unanime pactum: unanimitate iam non opus esse ad gubernandi aliquas actiones.
§ 43. Quae iura sic cessa ut noua persona maiestate praedita scil. communis potestas cessionaria fiat.

§ 44. Maiestas recens in sese stat, cum haec iura per propriam personam publicam non per singulas ciuitates coniunctas exerceantur.

II. De C. P. oriunda.

§ 45. An maiestas diuidi possit.

§ 46. Grotii opinio.

§ 47. Pufendorf.

§ 48. Seydel, Hänel, Holst, Brie.

§ 49. Communium iudicum in C. V. testimonium.

§ 50. Maiestas recens semel orta per se nouiter crescit.

III. Communis potestas singulis ciuitatibus superior.

§ 51. In communibus rebus nouae maiestati subest singularnm ciu. auctoritas.

§ 52. In non communibus per se stat sed ex c. p. uoluntate.

§ 53. Controuersia an generaliter subesse dici possit.

§ 54. Pro cuius competentia fiat praesumptio.

§ 55. Americanorum de maiestate superstitio.

IV. Maiestate est praedita C. P.

§ 56. Maiestatis notio apud Romanos.

§ 57. apud Bodinum.

§ 58. apud Montesquiellum.

§ 59. apud Rossellum.

§ 60. in legibus Americanorum Maiestas idem ualet quod in Europaeo iure.

V. De maiestatis huius recentis subiecto reali.

§ 61. Neutra sphaera plenam quae est in ciuitate discreta maiestatem praebet.

§ 62. De ciuitate solutissima idem.

§ 63. De foedere inaequali in ciuitatem transeunte idem.

§ 64. De confoederatione aliter.

§ 65. Maiestas populi est uiuersitatis maiestate plenâ uirtualiter praeditae argumentum,

§ 66. cum sic per unientem uoluntatem e pluribus unum factum esse appareat. De C.P. interitu.

VI. De c. p. erga singulas ciuitates conditione.

§ 67. Duae auctoritates ponderantur.

§ 68. Quae pro alterâ facta.

§ 69. Quid singulis ciuitatibus in uniuersum additis fiat ex ciuibus.

§ 70. Quid ciuitatis discretae sit uera maiestas, per contradictoriam duarum sphaerarum diuersitatem monstratur.

§ 71. Generalitas et Specialitas.

§ 72. Duplex ciuium ius ciuitatis.

De Singulis Ciuitatibus.

Caput Quartum.

I. De maiestatis iuribus apud singulas ciuitates generaliter.
§ 73. An duplex esse possit maiestas.
§ 74. Error maiestatem quid esse absoluti. Plena ab plenariâ differt maiestas.
§ 75. Maiestas solum relatiua cogitari potest.
§ 76. In ciuitate discreta singularum ciuitatum fere est maiestas aliqua externa quae semper restricta.
II. De iurium horum historia quoad nomen maiestatis:
§ 77. In foederibus ad tempus.
§ 78. In foederibus perpetuis.
§ 79. Achaei.
§ 80. Bataui.
§ 81. Americani.
§ 82. Suitenses.
§ 83. Germani.
III. Ciuitatum singularum residua est maiestas.
§ 84. Maiestas residua dominio seruienti comparanda.
§ 85. Pro sphaerâ reseruatâ totum libera.
§ 86. Sphaerae amplius reseruandae praesidium in concursu.
§ 87. Precaria non est maiestas.
§ 88. Plenarius est modus gubernandi etsi res obiectae gubernatrici potestati non semper sunt.
§ 89. Concurrens competentia.
IV. De residuae erga nouam conditione.
§ 90. Etiam cum „dominio inferiori“ componi potest haec maiestas.
§ 91. Aeterna uinculatio aeterna maiestatis („guarantia“) praestatio.
§ 92. Maiestas in Heluetiae constitutione inscripta.
§ 93. In Germaniâ Americâ ius positiuum.
§ 94. Plenariae sunt quamquam non plenae duae maiestates.

De Ciuitatibus in Iure Stantibus.

Caput Quintum.

I. Ex communis Potestatis iuribus de foro dubitatur.
§ 95. Statice non dynamice duae maiestates se aequant inuicem.
§ 96. In iuris dicundi modo.
§ 97. In iuris dicundi obiectis.
§ 98. Primae maiestatis in sphaera propria in quam ciuitatum res paene non cadunt iurisdictio.
§ 99. Extra hanc sphaeram nulla iurisdictio.

II. Ex singularum ciuitatum iuribus.

§ 100. Ciuitates superanae ordinarium iudicium pro sphaera residua non subferunt.

§ 101. Quomodo in „confoederatione“ Americana litibus prouideatur exponendum.

§ 102. Plena maiestas an fuerit.

§ 103. Retinetur umbra.

III. Rerum necessitas „quasi-forum“ commune iudicium exigit.

§ 104. Ciuitates Vnitae per Pactum creatae.

§ 105. Per Constitutionem a. 1789 confoederationis in iure dicundo modus plene euersus.

§ 106. Lacuna cum ciuitates sibi alienae dicantur.

§ 107. Tredecim igitur reclusa territoria facta nullo organico uinculo cohaerentia.

§ 108. Sed et mechanice ob grauitationis regulam uersus centrum tenduntur.

§ 109. Liberae ciuitates apud potentiorem ius sumunt.

§ 110. Res in Atlantide inter totum partesque agitur.

§ 111. Cum ordinaria iurisdictio dari non possit mixtâ opus est.

IV. Iuris dicundi ratio.

§ 112. Iuxta ius iuternationale exclusiue ciuitatum non interest.

§ 113. iuxta ius publicum strictum communis potestatis.

§ 114. Itaque forum per Constitutionem institutum fori prorogati uices geret.

De Lege Latâ et Ferendâ,

Pars Specialis.

(Synthetica.)

§ 115. Quae dicta sunt an uera fuerint per dicenda probatur.

§ 116. Possibiles casus iurisdictionis super ciuitatibus uel potius inter ciuitates.

§ 117. Practicabiles casus.

1. De lege lata.

A. IN SACRO IMPERIO.

Caput Sextum.

§ 118. C. p. contra s. c. et uice uersa.

§ 119. S. c. contra s. c. et u. u.

§ 120. S. c. contra priu. et u. u.

§ 121. Iurisdictio per concilium foederis et reliqua.

B. IN CONIVRATIONE ALPINA.

Caput Septimum.

§ 122. C.p. contra s.c. et uice uersa.
§ 123. S.c. contra s.c. et u.u.
§ 124. S.c. contra priu. et u. u.
§ 125. Ceteri casus.

C. DE LEGE LATA IN ATLANTIDE.

Caput Octauum.

I. De iuris Americani in hoc ambitu priuilegiis.
§ 126. Ciuitates Vnitae nullo loco in ius uocantur.
§ 127. Idem maiestatis priuilegium singularum ciuitatum.
§ 128. Contra administri pro actionibus publicis in ius citantur.
§ 129. Ciuitates V. cum S.C. certantes nec actores nec rei forum habent.
§ 130. S.C. cum priuatis certantes solum tanquam actores.
§ 131. S.C. contra S.C. arbitrorum loco iudicibus utuntur.
§ 132. Potestatum in America stricta diuisio.
§ 133. Indirecte igitur etiam apud Americanos *inter* ciuitates ius dicitur.
II. De ciuitatum prae aliis uniuersitatibus priuilegiis.
§ 134. Ciroquensium in Georgianos actio.
§ 135. S. Curiae sententia.
§ 136. Johnson.
§ 137. Baldwin.
§ 138. Thompson.
§ 139. Marshall.
§ 140. Res in Georgia a. 1831 gestae.
§ 141. Marshall primi iudicis opinio.
§ 142. Ciroquenses libera distinctaque uniuersitas attamen non ciuitas.
§ 143. Ob Vnionis leges laesas frustra Georgiani citan.ur.
§ 144. Quasi maiestas solum, non uera maiestas inferior Indorum est.
§ 145. Errorum de Indis Europaeorum scriptorum.
§ 146. Ciuitatum qualitatem non habent quia Vnionem non constituunt Indi, etiam cetera corpora publica in Atlantide pacto posita.
§ 147. Corporum unum uere priuilegiatum ciuitas est.
§ 148. Corpora esse possunt ficta.
§ 149. Tamen artificiale modo ciuitatum priuilegium.
§ 150. Varia iurisdictionis inter ciuitates genera.
III. De appellatiuâ super ciuitatibus iurisdictione.
§ 151. Reuerâ ciuitatum maiestas hoc iurisd. genere tangitur.
§ 152. Iura ciuitatum de ciuibus.

§ 153. Iura de terris.
§ 154. Omnes personae publicae subsunt iurisd. appellatiue.
§ 155. Fere eodem modo iudices singularum ciuitatum communi iudicio supremo subsunt, quo inferiores communes iudices.
§ 156. Virtualiter omnia iudicio communi subesse possunt.
§ 156 a. Eorundem ciuitatum ciues persaepe apud iudices communes ita ut in unaquaque ciuitate domesticae potestatis uim habeat commune iudicium.
§ 157. Iudices.
§ 158. Legislatores.
§ 159. Administratores tanquam domestica potestas tractat.

IV. De originali super ciuitatibus Supremae Curiae iurisdictione.

§ 160. Ciuitates singulae municipiis superiores cum de municipiis originalis non detur iurisdictio.
§ 161. Constitutionis et legum uerba.
§ 162. Prima res nata in ciuitatem.
§ 163. XI Constitutionis Emendamentum.
§ 164. Obscurior post hoc de ciuitatibus iurisdictio facta.
§ 165. Modus procedendi in ciuitatem.
§ 166. 1799 N.Y. contra Conn.
§ 167. 1831.
§ 168. 1832.
§ 169. Rhodii contra Massachusettenses agunt.
§ 170. Iudicum conditio, primum interlocutum.
§ 171. Rei origo.
§ 172. Anno 1845.
§ 173. Iudicum argumenta non in Rhodios sed inter duas ciuitates.
§ 174. Vattelii opinio.
§ 175. Nostra opinio.
§ 176. Anno 1845.
§ 177. Sententia finalis.
§ 178. Quid ualeat haec sententia.
§ 179. Mo. contra Io. et uice uersâ.
§ 180. Rei progressus.
§ 181. Sententia finalis.
§ 182. Fl. contra Ga.
§ 183. Ciuitatum V. intercessio.
§ 184. Rei incertitudo.
§ 185. Sic omnes de finibus inter ciuitates lites potius per lauda quam per sententias deciduntur.
§ 186. Realis effectus huius iurisdictionis ordinariae quâ ordinariae nullus.

De Lege Ferendâ.

Caput Nonum.

§ 187. Sacri Germanici Imperii hac in re principia iuridica absoluenda non exstinguenda immo propaganda.

§ 188. In Atlantide.

§ 189. In Coniuratione.

§ 190. In Germania.

§ 191. Lex apud nos ferenda proponitur.

LIBRI

„DE IVRIS PER COMMVNEM POTESTATEM SINGVLIS IN CIVITATE DISCRETA CIVITATIBVS DICVNDI IVRE“

CAPVT SECVNDVM.

DE

CIVITATE DISCRETA

SIVE DE

AMERICAE HELVETIAE GERMANIAE

HODIERNARVM

IN IVRE STATV

§ 15. Ciuitatis discretae notio per Americanos[1] nobis data foederis atque ciuitatis mixtionem significat. Illud nempe ciuitatis compositae genus quo civitates singulae nouam communem ciuitatem efficientes ciuitatum qualitatem retineant. Pufendorfio[2] etiam uniri posse ciuitates diuersae, ut maneat quaeque quod fuit, ea conditione solum uidentur[3], ut per modum artioris foederis, quod systema aliquod non autem ciuitatem proprie dictam producere aptum sit, componantur. Cujus amplissimi uiri dubitationes, quamquam nunc a pluribus u. d. repetuntur, tamen a plerisque[4] hodie non probantur. Contradictionem in adiecto non esse ergo possibilem, quibuscunque nitantur causis, permulti dixerunt C. D. Itaque in hanc per iuris prudentiam Germanicam in cuius foro omnes iuridiciales ueritates confirmandas esse trans Oceanum uociferantur adhuc consensum receptam notionem tanquam in studium legitimum a maioribus translatum statim indagare, haud prius realitatem eius probare nostrum erit.

§ 16. Atlantis foedusque Alpinum usque ad magnam rerum Germanicarum anno 1866 factam mutationem solae ciuitates discretae pene unanimiter[5] appellabantur. At nunc Sacri Imperii nostri forma etiamsi ciuitatis discretae regimen non esset cum illis componenda iuribus publicis[6]. Quorum duorum foederum structuram examinantes ex iis quae regibus desentibus permulta similia habent uelut tot alii uiri docti ciuitatis discretae imaginem abstrahere non difficile haberemus. Fortasse iam tunc multa in hoc rerum circuitu male esse intellecta ciuitatisque discretae notionem ab ipsis Americani iuris auctoribus nempe a Supremis illis Iudicibus aliter atque per scriptores frequenter lectos constructam probare possemus.

§ 17. Ad regulas constituendas autem unum non sufficit uel duo exempla ac praesertim, si ad patriam regulas nostras ualere cupimus, ut patriam ueram esse rempublicam discretam, id quod non semel a uiris doctissimis in dubitationem uocatur, probemus necesse est. Atque satis haberemus probare: quod Imperium Germanicum quamquam de compluribus iuris publici formis differt a foederibus Atlantico Heluetico, tamen genere ipso et rerum ui et iuris sui publici natura his aequatur sororibus, nisi grauibus quibusdam iuribus, quae hic in communem sunt translata potestatem[7], artiorem esse compagem nouissimae huius reipublicae discretae quam priorum similium monstrare possemus. Diuum Fridericum Guilelmum IV Borussorum regem, quem, etsi ad Germanicas ciuitates accuratius adsociandas neque potentia neque uoluntate sua in actione usum esse eum constat, nihilominus in arte gubernandi generatim exponenda ad splendidam eloquentiam profundam historiae iuriumque doctrinam adiecisse nemo negabit, dixisse habemus: In republica discreta discordias inter communem potestatem et singulas ciuitates euitari non posse, nisi hae illa maiestatis quae ab ista exercenda essent, iura omnino penitus funditusque deposuissent[8]. Itaque ut statim medias in res progrediamur, hac saltem re a primo, cui oblata erat reipublicae discretae in Germania condendae auctoritas summa, principe Borussico acu tacta Imperium Sacrum hodiernum, quod multis in singulis iuris publici speciebus nondum satis excultum esse quiuis rectorum ipsorum concedit, similibus praeponendum esse ciuitatibus per ciuitates compositis atque ex ciuitatibus constantibus proclamamus. Nam cum in America dubium[9], in foedere Alpino non certum sit: num potestas communis supra ciuitatibus singulis emineat auctoritateque sit praedita: illis, non solum ciuibus indiuiduis imperandi, quo iure suspenso uel non expresso certaminibus continuis arena paratur, immo bellis ciuilibus occasio fit, Imperium nostrum — tristibus confoederationis quae uocabatur Francofurtensis temporibus pro hoc uno iuris publici nostri communis lucro habenda est gratia! — singulas ciuitates ipsas continet subditas. In America claritas deest, quia pro sphaera communi legislatores iudices ministri ciuitatum non ciuitates ipsae subesse etiam

ab acerbissimis unitariis dici possunt, talis autem in illo iure quae apud nos cogitari non potest differentia summi ponderis est habenda.

§ 18. Quod igitur alibi nec legibus nec consuetudine definitum sed tantum a iuris consultis tanquam singularis quaedam reipublicae discretae perficiendae imago animo et cogitatione conceptum est, apud nos uiget per constitutionem atque usum quasi implicatae difficillimaeque inter communem potestatem et singulas ciuitates conditionis minime quidem contortae exemplar. Neque sola haec est laus iuris publici nostri hodierni quod a multis Germanis doctis patriae uel amantissimis ob similitudinem quandam cum fundamentis nonnullis illius status qui inde ab anno 1816 usque ad annum 1866 infandae nos praebuerat miseriae, quia senatus per constitutionem anni 1867 comparatus anno 1871 confirmatus plane uidebatur referre et constructione et consiliandi censendique modo conuentum illum Francofurtensem, uituperatum est a principio; uerumenimuero eiusdem quae per rempublicam discretam ubique petitur, salutis futurae germina praeclara in hoc iure potissimum, quia aliqua quae confoederationis propria existimabantur sed reipublicae discretae non obstare facile demonstrari potest, in eo reperiuntur, posita esse unusquisque puro ueritatis studio ductus, cum institutiones nostras hodiernas non solum cum calamitatum praeteritarum figura (scilicet miseriae ratio in aemulatione duorum confoederationis ualidissimorum posita erat membrorum!) sed cum alienis institutionibus hodiernis contendet, inueniet. Omnes enim constitutiones quam habeant indolem ualoremque, optime si diuersorum populorum leges inter se componas, discerni posse disciplinae iuris publici aedificandae fundamentum opinamur.

§ 19. Et doctrina quidem, quae ad statum ciuitatum internum atque ad iura publicarum rerum administrandarum pertinet, quin adhuc eum modum, quo in qualibet ciuitate artius an minus arte singulae ciuitatis partes, quas gradatim dico municipia agros pagos regiones prouincias, per communem summam potestatem contineantur et quo praesertim maximae hae ciuitatis partes, quas instar celeberrimae ac nobis indagationique nostrae proximae ciui-

tatis concretae prouincias appellamus, primae auctoritati subsint, illam igitur rationem qua densior an minus densa sit reipublicae compages, gradus denique uarios sed partim inter se confluentes „centralizationis“ et „decentralizationis“ quae uocantur quarumque discrimen in iure publico hodierno uel plurimi arbitramur, minime pervestigarit nemo dubitat[10]. De quibus uariarum conjunctionum notionibus non solum antiquus quo haec scripta sunt sermo uerbis indiget, sed etiam uernacula omnium gentium et cuiusuis iurisprudentiae oratio uocibus caret aptis et aeque usitatis[11]. Quodsi praeter Illustrissimi Gneist de Anglorum interno regimine eximias quaestiones de una modo ex ambitu illo re minus tarde et plus aeque incedere consueuit doctorum uirorum locutio; uidelicet de confoederationis et reipublicae discretae differentia[12], nunc cum, ultima confoederatione exstincta, in ius publicum alterius foederum perpetuorum generis solius superstitis interpretum uires contrahantur, eadem uerborum, quae quamuis idonea se praebeant, raro ab investigantibus aequabiliter adhibentur, sentitur penuria. Ideo de uariis reipublicae discretae figuris non libenter disseritur. Facile scilicet multi rempublicam discretam in constitutione, quae inde a d. IV Non. Mart. a. 1789 Atlantidis ius publicum regebat regitque, praefinitam esse, confoederationem in ea quae erat post annum 1816 Germaniae conditione normam habere demonstrare susceperunt. At quia antehac omnem salutem publicam in Americanae constitutionis, quam Helvetii cum ea quae viris usu peritis et in propriis rebus publicis uersatis par est et conuenit, libertate secuti erant[13], ratione imitanda Germaniae positam esse scientiae nostrae capita — quorum uirorum de patria optimo meritorum semperque summi aestimandorum studia in Constitutionis Germanicae de a. 1849 instrumento proposito perspici possunt — contenderant, etiamnunc, postquam iamiam Germania in talis reipublicae discretae formam, qualem domesticarum certo singularium rerum natura et desiderabat et permittebat, redacta est, nonnulli itidem facile constitutionem nostram, quia Atlanticam imitando non accurate consequitur, laudant, quod uera respublica discreta maiestatem communis potestatis prae se gerens illa lege non efficiatur. Alteri contra, qui a communis potestatis partibus

stant, conqueruntur, quod haec constitutio tanquam medium aliquid inter rempublicam discretam et confoederationem procreans nec tam sana nec tam salubris sit, quam optauerint. Quibus de laudationibus et reprehensionibus meditati, ne primis, ut dicitur, labris de iure publico nostro gustasse uideremur scientiam, primum quidem Germaniae constitutionem cum Americana et Alpina tot res grauissimas communes habere, ut ciuitatem discretam eo quo adhuc illa notione usi sunt iure consulti, sensu condicionibus suis astringeret; deinde autem constitutionem nostram plerisque iis rebus, quibus ab istarum rerum publicarum legibus differt, constitutionibus alienis praestare paucis ab iis superari comparando demonstrare nobis sumpseramus. Quod propositum assequi quia longum nobis fiebat, in altero nonnullos post annos demum edendo libro exponemus, hodie contenti, si contigit, ut probemus singularum ciuitatum maiestatem ita esse restrictam, ut quod ea iuris publici forma qua strictior etiam unitas maiorque aduersus hostem securitas quam republicâ discretâ praebetur scilicet respublica concreta non sit instituta haud doleamus, ita esse reseruatam, ut quod solutior etiam libertas maiorque summarum uniuersitatum nostrum Germanicarum uidelicet ciuitatum constantia quam republicâ discretâ praebetur scilicet confoederatione et con: suetudine nostra more maiorum tradita, non sit admissa, haud lugeamus. — —

§ 20. Ciuitates ut quae proposita habent melius assequerentur, omnibus temporibus foedera inter sese instituerunt, de quibus si perpetua inter multas ciuitatis fuerunt hoc loco exponenda essent quae reperta sunt, si ex hac uitae populorum publicae parte similitudines cum hodierna in America Heluetia Germania maiestate duplice praestari possent. At cum de illis foederibus (perpetuis foederibus, quae inter tres uel duas ciuitates facta sunt) nunc dicere plane non liceat, quia cum multiplice nostra republica non possunt comparari: de foederibus, quae olim multis ex ciuitatibus constabant, prope nil certi inuenimus neque quicquam quod ponderis sit alicuius allegare posssumus, praeter id quod ubique per legatos certis temporibus de rebus communibus consilia facta sunt. Fuit igitur restricta singularum ciuitatum maiestas sed solum

eiusmodi: ut quae singulae ciuitates ut non separatim facerent obligatae essent cum sociis communiter perficerent. Communem potestatem effecerunt ciuitates, solum quâ ciuitates, omnes, non uniuersae, itaque ex hac consociatione uniuersitas non prodiit; personae collectiuae sic ex ciuitatibus solum nullo alio momento accedente resultanti semper defuit animus collectiuus, itaque haec „persona forensis“ nunquam „uniuersitas publica“ facta est. Quod bene differendum cum Brie aliique etiam in conf. esse communem potestatem inducant. Communis potestas semper singularum ciuitatum communi afflatu procreata, tanquam illarum mandataria, maiestate propriâ egebat. Sin igitur nulli dederunt maiestatem singulae ciuitates totam retinuerunt, et solum maiestatis iuribus usae se coërcebant inuicem, horum iurium nonnulla communiter exercentes. Maiestatis restrictio quae fuit igitur mutua erat; et cum omnes ciuitates coniunctim totam haberent maiestatem super hominibus suis exstantem (nempe et illa maiestatis iura quae separatim singulae ciuitates et quae cunctae exercebant) etiam per hanc congregationem, quippe quae totam maiestatem in se continebat retinebatque non substantia maiestatis circumscripta erat: uerum solum per congregationis spiritum (quem bene discernamus ab animo constante!) id est per communem potestatem maiestatis functio quae cuiuis ciuitati separatae conueniebat quotiescunque congregationi libuit circumscribebatur. Quae omnia contrario modo probentur ciuitatis solutissimae similiter contrario regimine. Omnis semper communis potestas quotiescunque fungi eam oportebat seu legibus ferendis seu rebus communibus praecipue in bello administrandis a congregatione creata et quotiescunque satis egisse uidebatur deleta est; nil unquam aliud fuit quâ communis potestas nisi singularum ciuitatum sociarum serua uel res; quasi daemones illae uel umbrae, quas secundum Cabbalae Iudaicae doctrinam uates piarum artium compotes in ministerium sibi creare et usi delere sciunt.

§ 21. Hoc solum maiestatem unigenam fuisse apud foedera Antiquorum et Medii Aeui populorum et ex singularum ciuitatum auctoritate communi nulla nouae maiestatis iura deriuata esse certum intelligentes quamquam societatem inter Phoenicum in Asia

Poenorumque in Africa oppida; deinde inter multas Graecorum ciuitates multis locis temporibusque praecipue extrema historia Graeca inter Aetolorum inter Achaeorum urbes; nec non apud nonnullas gentes Italas ante Romanorum imperium exempli gratia inter Etruscas, inter Latinas inter Samnitum ciuitates atque inter Germanorum pagos a Caesaris Tacitique diebus usque ad Anglosaxonum heptarchiam; postremo a seculo duodecimo primum inter Langobardicas, tunc inter Teutonici nominis uel Theotisci populi uariarum regionum urbes fuisse cognouimus, tamen Ciceronis, qui omnia incerta esse cum a iure discessum sit[14], uerbo nixi, quia de eo quo maiestatis communiter cultis iuribus regimen internum affligebatur modo perpauca sunt nota plura autem nosci aut non aut difficillima longissimaque ratione modo possunt de rebus illis doctiorem aliquem disserere uirum opus esse opinamur.

§ 22. Ceterum omnia illa foedera inter quarum indolem multa interfuisse apparet ita ut, id quod postea exponetur, quatuor foederis gradus: nempe conjunctionem congregationem consociationem confoederationem discernamus, nec diu durauerunt neque iisdem in fundamentis, in quibus recentiores nostrae ciuitates, cum partim solae urbes partim gentes nondum rite ne in firmis locis quidem dispositae eas efficerent, collocata erant. Hodiernis ciuitatibus similiores illae demum suitenses respublicae erant, quae Medio Aeuo extremo consociabantur, quo in foedere usque ad annum 1798 manebant, deinde prouinciae quae uocabantur Batauorum postquam a rege Hispaniarum defecerunt. Sed etiam de horum populorum iure publico quae comperta sunt unam solum maiestatem apud singulas ciuitates manentem et tantum aliquibus de rebus conjunctim quamquam perpetuae erant institutiones tamen ut exempla docent precario functam nobis monstrant. Ceterum multa interfuisse inter maiestatis functionem apud haec foedera magna Gallorum contra ius publicum et ius gentium tralaticia quae fuerunt seditione uehementer correpta et maiestatis functionem apud nostras plane aliter uidelicet in principio omnes in lege aequos esse homines constructas ciuitates constat.

§ 23. Germanicum quoque imperium quamquam iam cum Heluetos Batauosque ex potestate sua solemniter et de iure dimitte-

ret scilicet anno 1648 foederis in formam redactum erat, tamen obsoleta compage unitum ita ut reipublicae concretae speciem passim retineret, nostri temporis foederibus iam uero Germaniae, quae nunc est, comparari non potest. Attamen in hoc Sacro Imperio Romano, quod uocabatur, umbram quidem maiestatis duplicis[15] conspicimus. Etenim per pacem Guestphalicam singulorum territoriorum superioritas, quae uocabatur, constituta est, ita ut ab hoc tempore totidem ciuitatum maiestatem in Germania declarare possemus nisi maiestate hoc nomine expressa[16] anno 1803 iterum noui quid factum esse per res hac de causa in potentioribus Germaniae meridionalis ciuitatibus nouatas probaretur. Agedum si singularum ciuitatum intra annos 1648 usque ad 1806 paene maiestas fuisse in Germania uidetur, communis potestatis i. e. Imperatoris cum conuentu Ratisbonensi iudiciisque Watislariensi Vindobonensi maiestas paene non fuisse recte dicitur. Cuius nomen fuit, is re fere carebat[17]; quorum res prope penitus erat, nomine carebant[18]. Maiestatem igitur singulariter diuisam — pariter ac scurra noster ille celeberrimus denariorum ualorem partiebatur sonitum alteri relinquens materiam sibi uindicans — hic proclamare quispiam audeat, nisi in iure nomen cum re plane congruere oportere ideoque neque communi potestate neque singulis ciuitatibus ueram esse attribuendam maiestatem certum sit. Hoc igitur „monstro tantum simili“ systemate ciuitatum remoto[19] et in societate Rhenana[20] et confoederatione Germanica alteram altera excipientibus illud singularum solum esse ciuitatum maiestatem horum foederum ipso proposito efficacitateque satis dilucide explicabatur et omnium his de rebus scribentium libris nimia pene cum accuratione illustratur.

§ 24. At quia ex antiquis illis regiminibus, quae cum interierunt iura sua specialia iuri diuino subiicienda iam non esse itaque excidio destinata ostenderunt, fructus ad haec, quae recentiores praesentesque conditiones modo spectare opus est, studia de ratis maiestatis iuribus percipi uix possint, ad ea quae uiuentia nostro seculo apta etiam se esse statuunt foedera age transeamus. Et ueterrimum[21] quidem inter ciuitates liberas, sui iuris neque cuiquam obnoxias perpetuum foedus est Atlanticum ab anno 1789

uigens. Quod quamuis aliarum Noui Mundi regionum ueluti Columbiae, Mexici, Americae Mediae, Argentinae ciuitates imitatae sint, mox partim differentium regiminum normas quaesiuerunt partim leges, quas initio, cum ab Hispaniarum rege deficientes in ciuitatum sese regentium ordinem receptae sunt, fecerunt, continuis motibus uexatae non sunt exsecutae ita ut uaria quae de imperfectis his Hispano — Indicae originis trans mare Atlanticum sitis rebus publicis reperta nobis sunt quicquam ualere ad exacte peruestigandas res nobis propositas tueri nemo possit. Contra quod de constitutione[22], quae erat inter annos 1861 et 1865 illarum tredecim praecipue Anglicae originis ciuitatum quae ab „Unione“ deficientes „Confoederatarum Ciuitatum“ nomine se appellabant parum cognoscere potuimus moerendum esset nisi earum leges communes Unitarum ciuitatum legibus simillimae fuisse praesumi possent. Nam quamquam singularum Ciuitatum maiestatem communi auctoritati in republica discreta praeesse famosissimae illius „Secessionis“ auctores Calhounii celebris sui popularis doctrinam secuti plerique, dum in Unione dignitatibus functi sunt, praetenderunt, tamen hoc quod reclamabant ius nullificationis quasi praetextum habebant, ut potius suarum regionum in nigrorum hominum seruitute et commercii exteri licentia tuendis[23] positam utilitatem tenerent. Et praesertim in bello quod Secessione facta statim successit, harum Confoederatarum Ciuitatum communem potestatem, quamuis leges nonnullae obstarent, diligentius etiam quam Unitarum Ciuitatum communem potestatem maiestati Singularum Ciuitatum residuae parcuisse paullum uerisimile arbitrandum[24]. Secessionis ius autem, quod per Meridionalium Ciuitatum legatos iuri publico nouae huius reipublicae discretae ingrossatum est, nil aliud uidetur nisi istius legis, qua bis in Gallia[25] singulis ciuibus indiuiduis ius seditionis attributum est[26]. Duo autem haec iura fatua uana inania nulla denique aestimari possunt et per errorem rebuspublicis iniuncta. Nullam quidem personam, quamdiu uiuat, se ipsam posse negare constat. Ciuitas igitur quae uigere uult — talisque Confoederatarum ciuitatum respublica fuit discreta — ius ipsam destruendi uel ipsam seu secessione seu seditione negandi quamuis membris impertitum respicere nunquam

potest[27]. Meram autem congregationem fuisse in cuius foederis genere sicut in coniunctione singulorum membrorum et in consociatione et in confoederatione illicita secessio spontanea placabilis permittitur[28] hanc nouissime ortam nouissime exstinctam Americae rempublicam difficilius probari posset obstante ipsorum eius rectorum legatorum scriptorum testimonio, quo huius regiminis fundamentum propria unitatis libertatisque cupida „natio“ dicitur. Natio autem, quae populus sui iuris esse uult, cum populum se proclamat, qua populus, ciuitatem, nil moror, rempublicam discretam procreat, nunquam congregationem[29].

§ 25. Itaque de maiestatis duplicis, quae modo ad tempus etiam hic fuit (nulla iuris gentium, in quo scrupuli de uera communis in Confoederatis Ciuitatibus potestatis maiestate statim eximi non possint, ratione habita) iuribus parum noui, quod in Atlantica constitutione non esset, hic inueniri existimantes extra Europam mentio iniicienda non esset nisi Anglorum in America Septentrionali[30] et in Australia coloniarum. Quarum hae, cum foedus perpetuum sub reipublicae discretae formis inire grauiter intendant, illae inierint, tamen quia coloniae tanquam Reginae Anglorum plene subiectae nec singulae neque uniuersae maiestatem tenere possunt ne obseruandae quidem. Iterum in Europa, ubi Hispaniam reipublicae discretae formam induere uoluisse momenti pro iuris publici notitia nondum habetur, dua tantummodo nunc habemus foedera Heluetiam Germaniam, quae cum inde a nostri seculi aurora uarias uicissitudines atque iuris publici emendandi conatus passae sint illa anno 1848[31] haec annis 1867 et 1871 constitutiones idoneas adeptae sunt. Quodsi inter praeteritas Americae Heluetiae Germaniae conditiones similitudine a uiris iuris publici peritis exposita meram confoederationem, cum pristinae constitutiones in hodiernas mutarentur, in horum trium nominum finibus regnasse constat, etiam, quae nunc sunt, trium populorum constitutiones multis ex partibus inter se congruere, id quod iamiam per illud aequis causis aequa effici probabile uideatur, apparebit. Nouationis causae in tribus his terris aequae fuerunt: scilicet confoederationis, quae laxius fuit, quominus uaria imminerent pericula communitatibus, foederis genus, calamitates. Quippe eadem

ratione ante annos 1787, 1845, 1866 in tribus terris patriae amantissimus quisque statum rerum publicarum mutandum suasit, in quauis porro confoederatione singulis omnibus ciuitatibus necessitati quamuis dirae ab iis uel ab earum parte deploratae cedentibus deinceps nouae constitutioni annuentibus meritum uoluntariae resignationis de quibusdam maiestatis iuribus in fauorem communis potestatis recenter creatae addicendum est. Densioris et firmius in se contentae igitur structurae, quae nunc est iuris publici in Atlantide Heluetia Germania, plane similis origo non est neganda. Similia uero et quae nouationibus his congruentibus effecta.

§ 26. Ac primum quidem erga peregrinos ex una tantum mole in se unitâ quaelibet haec respublica constat. Itaque iam non inter ius gentium sicut confoederationum priorum descriptiones sed plane in medio inter ius gentium et ius publicum proprie dictum ponendae sunt de hodiernis horum populorum legibus tractationes. Quâ de re in Germania, quae postquam anno 1816 ab Austro praeside qui in conuentum Francofurtensem ab Imperatore suo delegatus erat, ut mera ciuitatum alterius alteri peregrinarum confoederatio[32] salutata est, quamquam res ab illo conuentu annis uariis praecipue a. 1832 actae sunt, quae nisi in republica discreta communi potestati subiciendae non essent, usque ad annum 1866 iuxta iuris gentium regulas a principum suorum communione recta est, communi indigenatu statuto, exterorum nomine pro Germanis abolito, omnibus Germanorum ex altera in alteram patriae partem migrationi obstantibus impedimentis abrogatis minime possit dubitari. Atque cuilibet alieno ea Germanicae gentis sane maior pars, quae in Sacro Imperio unita plerasque, in quibus Germanico utuntur sermone homines, regiones complectitur[33] plane eodem modo quo America Heluetia in unam ciuitatem confusa uidebitur, ubique communi exercitu communibus teloneis communibus legatis consulibus prominentibus. Etsi praecipue quidem ad tuendas in externum singulas ciuitates ut alterae confoederationes inita erat confoederatio Germanica; attamen quoad conditiones relationesque in pace externas differenter gubernabantur foederis pleraeque ciuitates. Nunc uero ut in America et in

Heluetia communis potestas instituta, quaé, quamquam singulis ciuitatibus ius legationis reseruatur, ut unius ciuitatis suprema auctoritas pro uniuersis omnia erga et contra peregrinos gerenda regit ciuitatibus[34]. Manifeste sic profecto etiam peregrinis, qui singulas ciuitates, quominus quicquam in uniuersitatem consectentur nedum perpetrent, et iure et ui prohibitas esse intelligentes plenis maiestatis honoribus condecorant, perspicuam autem communis auctoritatis maiestatem ignorare non possunt, maiestatem duplicem alteri alteram subordinatam — id quod contradictionem in adiecto non esse postea demonstrabitur — pariter atque in America in Heluetia duae maiestates praefictae sunt, in Germania uigere declaratur.

§ 27. Non solum hac nominis aequabilitate iuxta aestimari possunt tres respublicae sed potius cum singularum ciuitatum maiestas ubique eiusdem generis residua uideatur, etiam communis potestatis maiestas in fere aequis fundamentis ubique posita est, ea tantum condicione, ut saluo semper maiestatis residuae iure, maiestas recens in Germaniae finibus firmius stabilita sit quam alibi; componenda pene cum scopulo illo eius qui quin et exercitu et aerario Borussicis fundandis Sacro Imperio, quod nobis nunc est, aream securam primus explanauerit non dubium est regis aëneo! Germaniae quidem itidem ut Atlantidi Heluetiae potestas uere ciuilis est, quae super omnibus ciuibus propriae supremae auctoritatis uices habet. Sincera summa imperii ubique in hanc potestatem communem collata est[35], nempe legum ferendarum, rerum administrandarum, iuris dicendi functiones; ea lege, ut singularum ciuitatum iniussu immo plerisque inuitis (nisi maximae repugnent) agere agendique fines, singularum ciuitatum unanimitate non requisitâ, propagare possit.

§ 28. Huius potestatis communis igitur proposita et auxilia, quamuis singularum, quae ipsi subsunt, ciuitatum adiumento legibus digesto circumscripta neutiquam absoluta, cum maiestatem legibus solutam esse debere inter praeteritorum errores sit ponendum seculorum, eiusdem prorsus sunt generis cuius antiquitus ea quae auctoritati, qua respublicae concretae gubernantur, conueniunt. Liberum igitur est atque supremum imperium, quod quo-

niam nil humani suffert, formis constitutione praescripti agendi fines proferre potest[36], prout quaeuis ciuitatis in se perfecte unitae summa auctoritas; contra in prioribus confoederationibus communes qui erant magistratus — si legati Francofortum conuenientes magistratus nomine digni esse ipsi uoluerunt unquam — per uota maiora solum iuxta ius gentium singulis ciuitatibus, qua uniuersitatibus publicis, plane non ciuibus mandantes plerumque iure nil facere se posse in proposita respondebant, neque re uera ullo iure iis, quae in foederis pacto certis expressisque uerbis non erant scripta, et ad quae potissimum foedus non erat factum, si fere se immiscebant[37], quoties ciuitatum singularum pluribus uidebatur, interponebantur.

§ 29. Et cum apud Americanos Suitenses Germanos aequabiliter olim ex legatis, quorum quisque a suae ciuitatis nutu pendebat quique plane iuxta iuris gentium regulas inter se agebant, potestatis communis sodales constarent, nunc in tribus illis foederibus eadem ratione, qua in ciuitate qualibet concreta[38], instituti sunt communes rectores. Constat enim haec auctoritas suprema hodie ubique ex tribus ordinibus pariter atque in omnibus fere Europae regnis Medio Aeuo Extremo, pariter atque usque ad seculum praeteritum extremum in Britannia Polonia, pariter atque ex huius seculi principio in omnibus fere (denuo non modo Europae sed Telluris[39]) ciuitatibus, quae Anglorum regimen a Montesquiello primo inter alienos summis laudibus celebratum inde a Gallicarum rerum magna conuersione, quamquam et ob errorem de illius regiminis fundamentis commissum et ob rerum grauissimam diuersitatem re uera imitari non potuerant, tamen, quantum specie ualebat, imitaturae erant. Scilicet ex rectoris, qui, cum in legibus ferendis solus prodire nequeat, in iure dicendo et rebus administrandis auctoritate, per ceteros duos ordines[40] paullum restricta, tanquam summus censor et magistratuum uel iudicium uel administrorum creator gaudet, ordine, ex superioris concilii ordine, ex inferioris concilii ordine.

§ 30. Atque hic tertius quidem ordo sicut in ciuitatibus concretis et apud Americanos et apud Helvetios et apud Teutones non modo popularis uerum etiam in populi summo fauore est. Quod qui

hoc tertio ordine facto quae nunc sint in tribus imperiis regiminum formas inauguratas annis 1789, 1848, 1867 non ignoret, plane non miratur. Hoc potissimum ordine adiiciendo in Atlantide Heluetia Germania communis potestas ciuilis reddita, atque simplex (quamuis perpetuum) foedus in rempublicam uidelicet discretam mutata est[40]. Est igitur hic tertius ordo ubique legatorum a totius, quod communi potestati subest, territorii populo missorum concilium in una conuentione, quae in America House of the Representatives, in Helvetia Nationalrath, in Germania Reichstag appellata uno et eodem modo — id est ab omnibus integris aetate maioribus uniuersis uniuersi territorii ciuibus — secundum multitudinem et in aequis districtibus eligitur, ita autem, ut cum in America legati fieri possint soli qui eiusdem a cuius ciuibus creandi sint ciuitatis sunt ciues, in Heluetia Germania, qua in ciuitate candidati (dummodo sub communi sint potestate) uiuant quaerendum non sit, uerum ubique quisque concilii inferioris sodalis eligi possit[41]. Qua ratione ius ciuitatis communis, quo oriundo simul aduersus priora foedera in tribus terris reipublicae scilicet discretae notio in uitam prolata est, per, quae in Europae digeant, respublicas discretas fortius construi et ciuitatem recenter erectam artiori compage uinciri patet.

§ 31. Deinde communis potestatis ordo secundus ubique ex consiliariis, nempe uiris peritioribus[42], qui a singulis in novae ciuitatis discretae territorio contentis ciuitatibus delegentur, constat. Cui superiori concilio in America Senate, in Heluetia Ständerath, in Germania Bundesrath nomen est; et cuius participes in America non satis stricte, in Heluetia strictius, in Germania strictissime ex ciuitatum per quas missi sunt auctoritate stant, ubique uero ea, ut ciuitatum singularum uoluntatem publicam et uerbis et uotis exprimant, ratione instituti sunt[43]. Hanc rationem optime assecuntur Teutones: quoniam quae in singulis ciuitatibus a potestate publica (non solum a rectoribus uerum etiam a nuntiis popularibus et proceribus) sentiantur, per superius concilium proferenda esse etiam coram inferiori concilio, constitutum et confirmatum est. Clarissime igitur ciuitates ipsas cum sic in rebus publicis omnibus ipsae uersentur quolibet decreto communi uinculari, qua ciui-

tates, apparet. Non eodem iure apud Heluetios ciuitates ipsae in superiori concilio agere, minus apud Americanos dici possunt". Quaequae per communis potestatis ordines sanciantur etiam illic pro omnibus in communi territorio manentibus supremam fieri legem constat, ea tamen conditione, ut illic rectius ciuitates singulae ob id quod pro parte unusquisque ex earum ciuibus communis reipublicae particeps est, itaque etiam cum de propriis in qualibet ciuitate rebus rectores proceres nuntii agant, huic supremae legi se subesse meminisse debeat, non qua ciuitates communibus decretis obtemperent. Quia igitur in America indirecte, in Helvetia directius, in Germania directissime singulas ciuitates communi potestati parere necesse est, praecipue ob secundi ordinis formationem differenter ciuitatis discretae imaginem a tribus populis fictam esse intelligamus.

§ 32. In Germania haec ciuitas recens ex ciuitatibus ipsis pro ea functionum publicarum de qua communiter agere conuentum est, parte et ex ciuibus individuis constat pro eadem parte: in Helvetia America ciuitas discreta ex ciuitatibus composita recte dici non potest sed rectius solum ex ciuibus indiuiduis pro communi parte, qui plus minus singularum ciuitatum quarum pro altera publice agendi parte simul ciues sunt, ratione habita ita ut in secundi ordinis institutione etiam apud Americanos haec ratio maxime sit expressa, communia gerunt.

§ 33. Quodsi quis in Germania non iuxta ciuitatem discretam, sed intra, (quod etiam in America Heluetia etsi non expressis Constitutionis uerbis inuenitur) pro rebus communibus ciuitates singulas positas esse ob ciuitatum maiorem restictionem aegre fert, idem tamen et iustius et utilius secundum ordinem a Teutonibus institutum esse concedet. Iustius, quia in America Helvetia omnium singularum ciuitatum in superiori concilio auctoritate et maximarum et minimarum paribus uotis pariter eminente, in Germania secundum potentiam, quae potestas agnoscitur, singulis ciuitatibus uel plura uel minora uota dantur. Vnumquemque autem tantum iuris quantum potestatis habere oportere in rebus publicis iustitiae fundamentum opinor. Vtilius, quia, quae per communem potestatem constituantur, facillime in Germania cum sin-

gulis ciuitatibus, quae in qualibet republica discreta his statutis morem gerere debent, ita ut ad exsequenda statim obligentur magistratusque suos praebeant, communicari possunt. Quae communia statuta cum apud Suitenses eodem fere modo ad singulas ciuitates relata a singularum magistratibus perficiantur[46], in America, ut efficiant, quia a singularum ciuitatum iuxta communes magistratus positis magistratibus interdum uel ignorantur uel negliguntur, haud raro a magistratibus ad hoc nominatis in uigorem perducenda erant. Ad uarios conflictus, qui tantum abest, ut hac localium et centralium magistratuum et officiorum (quam ceterum ad maiestatem singularum ciuitatum pleniorem retinendam nil attinere intelligemus) iuxtapositione, [itidem ut iudicantium et administrantium magistratuum et officiorum iuxtapositione] prohibeantur ut saepius prouocentur[47] euitandos optime communis potestatis in Germania secundus ordo, quia idem, quod et in Helvetia et in America secundi ordines propositum habent, id est singularum ciuitatum auctoritatem repraesentandam perfectissime assequitur plurimum ualet.

§ 34. Omnimodo quod interest apud tres populos inter hanc communis auctoritatis partem constituendam, ad quantitatem, modo non ad qualitatem attinet[48]. Libenterque superius Germanorum concilium, quia semper in occulto deliberans multa ad res communes bene gerendas grauissima sine causa sine utilitate inferiori communi concilio et singularum ciuitatum conciliis subducit, imperfectum esse concedemus. Esse possint et clam et palam concilii foederis, prout res forit, sedendi et disceptandi dies. Occultus deliberandi modus ne dissidia quae ex initio timebantur eminerent per cancellarium recommendatus uidebatur.

§ 35. Primus denique communis potestatis ordo summa cum diuersitate, quantum ad formam spectat, magna cum similitudine, quantum ad fungendi materiam, apud tres populos institutus in America President of the Vnited States, in Heluetia Bundesrath, in Germania Deutscher Kaiser appellatur. In America consul sine collega in quatuor annorum spatium a totius territorii stricta singularum ciuitatum ratione habita dispositis ciuibus eligitur; in Heluetia per ceteros communis potestatis ordines septemuiri rerum

gerendarum creantur; in Germania perpetuus hereditarius rector communis legibus annis 1867 et 1870/1871 a singularum ciuitatum potestatibus et a concilio populari communi in aeternum institutus est. Sed huic primo ordini aeque apud tres populos gubernandi[49], id est in ciuitate prima, ad quam omnia publica referuntur, functio, quamuis in quantitate uaria et per ceteros ordines in communi potestate et per singularum ciuitatum maiestatem residuam restricta, tamen in qualitate eadem, attributa est. Concursus ad res administrandas senatorum qui in America inuenitur per similitudinem aliquam Germanorum in Imperatore qui administrat per Concilium Foederis coërcito inuenitur. Vbique enim per hunc primum ordinem communis maiestas recens aduersus exteros repraesentatur, erga ciues exercetur.

§ 36. Non super ciuitatibus in ciuitate discreta singulis, quibus maiestas in proprio ambitu reseruatur, tamen super illis singularum ciuitatum functionibus quae communis iuris factae sunt hanc communem maiestatem aeque in tribus terris exerceri a primo ordine utique probari potest[50]. Fiebant enim in tribus terris rerum conuersiones tunc cum singulae ciuitates maiestatis partem, ita ut altera ipsis pars restaret, in communem potestatem conferebant. Quod nisi agnosceretur, nil interesset inter regimina quae nunc sunt et priores confoederationes in quibus singulae ciuitates totam expressis uerbis retinuerant maiestatem, perpaucis in rebus inuicem se restringentes, quarum dispositione libera adempta maiestas singularum ciuitatum non arctabatur uerum solum in commune ab omnibus exerceri dici poterat. Maiestas communis non erat in America ante annum 1789, in Heluetia ante annum „1848“, in Germania ante annos 1867, 1871. Quod Brie cum similitudinem Cf. et C. D. inducit negligit. Constitutionibus autem loco antiquorum pactorum positis cum quae publica per communem potestatem gubernanda sint, quae per singulas ciuitates, per „sphaerarum“ illam diuisionem discernatur, quia gubernationis sine maiestatis notione notio existere non potest noua ciuitas maiestate recenti praedita orte est. Et paene in eandem formam ex quibus nouam maiestatem creatam esse apparet partes trium constitutionum sunt redactae.

§ 37. Ac praesertim ius foederum externorum quod integrum habebant antea singulae Germaniae ciuitates ea tamen conditione, ne contra confoederationem eo uterentur, per constitutionem Sacri Imperii eodem modo, quo Americae[51] Heluetiae singulae partes, cum foedera externa quae cognita et probata habeantur, tantum per potestatem communem, iniri liceat, amiserunt; quod in tribus constitutionibus nisi formaliter certe ratione legis edicitur, ita ut ius legatorum ad exteros mittendorum mere honorarium[52] cum uideatur esse principibus Germaniae, qui, qua monarchae hereditarii alius generis atque singularum in America Heluetia, qui modo ad tempus eligantur, rectores ciuitatum negotia praecipue ad familias illustres spectantia cum exteris habent, ob reipublicae discretae imaginem melius assequendam exstingui non opus sit. Ciuitas discreta stricta non est, et cur unum ex horum regiminum discriminibus hoc ius legatorum a ciuitatis participibus mittendorum esse posse negandum?

§ 38. Similitudines cum alteris ciuitatibus discretis praeualent certo prae his dissimilitudinibus quae magna ex parte ad monarchicas nostras institutiones referendae itaque cum his conseruandae sint. Cum in antiquâ confoederatione nostrâ ciues indiuidui neque administratione neque iurisdictione neque legislatione communis potestatis obstricti fuissent, quia illae duae functiones non erant haec legum ferendarum erat non communis sed in commune exercita: in Germania hodierna prout in Ciuitatibus Unitis et in Coniuratione Alpina subditos habet potestas communis cunctos, qui singularum ciuitatum ciues sunt, quamuis magna ex parte harum per medium ciuitatum, tamen haud raro sine harum commendatione directos. Qualitatiue igitur (etsi omnis qualitas contra quantitatiue simplicia discrimina in quantitatiue multiplicia dissolui potest) similes quantitatiue dissimiles haec tres figurae rp. discretae reales eiusdem generis sunt diuersae species. Quibus nomina

Rp. discretae foederalis
\- - foederatiuae
\- - imperio-foederatiuae

imponi licitum et utile putamus. Et cum Aristotelis de ciuita-

tibus classificandis regulas sequimur in primâ specie nempe Americanâ aristocraticum[53] et democraticum

in secunda democraticum

in tertia monarchicum elementum praeualere dicamus, rectius uero etiam

primae monarchico-aristocraticum et democraticum

secundae aristocratico-democraticum

tertiae monarchicum et aristocratico-democraticum[54]

praeualens inesse ponimus.

§ 39. Etiam per fungendi non solum per statûs rationem[55] in Germania communis potestas fortior quam in America Heluetiae uidetur. Atque in Imperio-foederatiua ciuitate nostra singularum ciuitatum ministris plus utitur quam in Heluetia in Heluetia plus quam in America ciuitas discreta. Ob iuris perspicuitatem hoc aeque uel laudandum atque ob utilitatem. Stricte ut in Atlantide apud Suitensens nunc per Sacrum Imperium discernitur quae publica per auctoritatem centralem agenda sint quae singulis ciuitatibus maneant[56]. Itaque nil derogatur C. Potestati, cum quae suae sunt sphaerae exsequenda S. Ciuitatibus tradit.

§ 40. Quamuis ex multis partibus differentes[57], ciuilem super toto territorio ad gubernandum institutam potestatem communem habent aeque tres in ciuitate discretâ quae inueniuntur species, ita ut, cum, quae „uirtualiter“ omnia agere possit, ciuilis auctoritas sit, omnia autem ex foederis conditione nouiter orta ciuitatis iura an communis potestatis an singularum ciuitatum esse debeant per prius occupantis[58] praesumptionem disceptetur, huius recentis auctoritatis, quamquam contra singulas ciuitates certis sunt circumscripti finibus, contra societatem infinita uideantur iura. Et in Germania quidem contra singulas ciuitates quoque amplior est communis potestatis sphaera gubernandi. Vt autem hic recte intelligas primum quid sid communis potestas exponendum habeam; tamen huic capiti acumen ita imponere possum ut si in ratione status per arctiorem an minus arctiorem ex ciuitatibus organizationem potestatis communis tres in C. D. genere species differunt,

in ratione gubernandi per sphaerarum mutuam conditionem discrepent.

Nempe in ciuitate foederali est communi sphaerâ amplior residua

in ciuitate foederatiua se aequant inuicem

in ciuitate imperio-foederatiua

est communî sphaerâ minor residua.

ADNOTATIONVM ALIQVAE.

[1] Brie p. 17 per Germanos inuentam eam fuisse probare non potest. Et post a. 1848 et ante fere semper in Americanas res exemplificatum est non in Germanicas quae fuerunt sub S. I. Romano. Welcker semper Atlantidem spectabat. Si forte maiestati S. C. derogabant Germani hoc ob ignorantiam Atlantidis, non ob S. Imperii imaginem quae totum in obliuione uersabatur faciebant. Pütter autem in Institutionibus suis § 32 cum „rempublicam compositam“ inducit respublicas maiestaticas componere hanc superiorem ciuitatem non dicit. At in maiestate inferiori S. C., quam superioritas ex pace Guestphalica non aequabat, ciuitatis discretae positum est criterium. Quod Imperator tanquam talis ueto habebat multae administrationis praerogatiuae ei fuerunt et C. S. apud eum Vindobonae in iure stabant, plenum imperium S. C. impossibile reddidit pro sphaerâ reseruatâ. Etiam Hugo, a Brie taliter laudatus, de maiestate silet, ergo ciuitatis discretae notionem non habuit. Ceterum Brie p. 14 rectissime contra Gierke II p. 835 dixit: „Die theilweise Verwirklichung eines Begriffs mit dessen Erkenntniss durchaus nicht identisch.“

[2] Cui Cohn (quid intersit etc.) laudem dat priuae inuentionis.

[3] Ius naturae p. 1224. Idem de systematibus ciuitatum in Dissert. selectae Vps. 1677. Quae similia in libro quod nomine „Seuerino de Monzambano“ scripsit iam per Thomasium in editione ab ipso facta p. 503. 507 refelluntur.

[4] ex huius seculi initio postquam „the Federalist“ apud nos cognosci coepit.

[5] Excipias ex scriptoribus Germanicis, Vollgraff: De conf. sine et cum imperio Marb. 1859 § 27. 28, qui aliter atque plerique usus est uocibus Staatenbund et Bundesstaat, a iureconsultis uero recte damnatus fuit.

[6] Treitschke in Preuss. Jahrbücher Nov. 1874 quamquam S. I. nostrum C. D. non esse probare uult tamen comparationem uetare non potest, immo cupere debet.

[7] et praecipue iuris totius ciuilis in commune traditio, quae nunc est in Const. nostrâ a caecissimis oculis animaduertatur, ita ut discrimina reuerâ non parua uideantur cf. Waitz Politik p. 144.

[8] Cf. L. Tellkampf: Der norddeutsche Bund und die Verfassung des deutschen Reiches. Berl. 1866, p. 16.

[9] Buss, Bundesstaatsrecht. Karlsr. 1844, praef. p. XII.

[10] Treitschke, Die Gesellschaftswissenschaft. Leipz. 1859, p. 26.

[11] Nos potius in tabula p. 46 huius uoluminis uoces technicas quas ut in ceteris artibus latinas manere uolumus proponere conati sumus.

[12] R. v. Mohl, Gesch. u. Litteratur der Staatswissenschaften. Erl. 1855, p. 560, I uol. hoc discrimen apud nos Germanos ex doctrinâ in uitam transiisse loquitur.

[13] I. P. V. Troxler, Die Verfassung der Vereinigten Staaten Nordamerika's als Musterbild der schweiz. Bundesreform. Schaffh. 1848.

[14] Epist. XI, 16.

[15] In quibusdam iuribus iam per Auream Bullam a. 1356, quae Teutonici Imperii per Carpzouium lex regia appellatur, principes electores Imperatori aequabantur. Praecipue cum Arcadii et Honorii statuta ad Legem Iuliam Maiestatis (L. 5. pr. C.) ita in Aurea Bulla referantur: Si quis cum principibus militibus uel priuatis seu quibuscunque personis plebeiis etiam scelestam factionem aut factionis ipsius inicerit sacramentum uel dederit de uere uenerabilium et illustrium nostrorum et sacri Romani Imperii tam ecclesiasticorum quam saecularium principum Electorum seu alterius eorundem (nam et ipsi par corporis nostri sunt) etc. Sic eorum qui secundum Arcadium „consilio et consistorio imperatorio intersunt“ loco quidem habentur tamen plane eximii fiunt ceteris consiliariis non eodem modo saluatis.

[16] Meiern Acta pacis Westph. I, p. 144, no. 8 solum Gallico pacis instrumento recte souveraineté iam 1648 a. utuntur. Noui quid ex toto per nominis „superioritatis“ in nomen „supremitatis“ anno 1806 factum esse practice per Virtembergi Bauariae internam rerum mutationem, theoretice per Berg: Abhandlungen zur Erläuterung der rheinischen Bundesacte passim refelluntur, qui negant.

[17] Limnaeus Ius publ. Imperii Rom. Germ. I c. 16. Imperium mixtum ex monarchia et aristocratia arbitremur ita tamen ut aristocratiam tamen clarius apparere statuamus. Bodinus De rep. I, p. 260. At ne imperii quidem Germanici Imperator per Sese iura maiestatis habet, nisi aliunde regnum omni obsequio ac fiducia liberum adipiscatur.

[18] Itaque ut diximus plane simile contrarium confoederationis Francofurtensis, in qua duae summae potestates coniunctae sine praedominii titulo persaepe omnia perpetrabant et plane maiestas S. C. nomen solum erat. Nunc demum in Germania recte medium tenetur et nomina rei adaequata i. e. duplex maiestas inuenitur. Bodinus De rep. I c. 10 ciuitates Germanicas quia a concilio leges acciperent maiestatis iura non habere dixit, contra Heluetiorum ciuitates habere d. rep. c. 6.

[19] O. Stobbe, H. Corring, Rectoratsrede. Berlin 1870, p. 20. 40; Fr. Weber,

Hippolithus a Lapide, Sybel's Histor. Zeitschrift. 1873, p. 263; H. Franklin, Seuerinus a Monzambano, Rectoratsrede. 1873.

[20] W. J. Behr, Das teutsche Reich und der rheinische Bund. 1808, p. 427; Winkopp, Rheinischer Bund, I—VIII. Frankf. 1808; C. S. Zachariae, Ius publicum ciuitatum quae foederi Rhenano adscriptae sunt. Heidelberg 1807, § 60.

[21] Mably, Observations sur les Etats Unis de l'Amerique. Paris 1784.

[22] h. e. de statu reali. Constitutionis instrumentum inuenies typis expressum in Hänel: Studien, p. 276 sqq.

[23] Const. Conf. Art. I, Sect. 9, § 4. No bill .... or law denying or impairing the right of property in negro slaves shall be passed, etiam IV, 2, § 3, IV, 3, § 3 iterum I, 9, § 6. No tax or duty shall be laid on articles exported from any State except by a vote of two-thirds of both Houses, etiam I, 8, § 1 et 3.

[24] „Constitutione" illâ ipsâ quidem Art. 1, Sect. 2, § 5 hoc ius datum: .... any judicial or other federal officer resident and acting solely within the limits of any state may be impeached by a vote of two-thirds of boths branches of the Legislature theselt.

[25] const. Art. III 1848.

[26] 1793, 1848, cf. Richter, Staats- u. Gesellsch.-Recht II, 143; Webster III, 448.

[27] v. Brucken genannt Fock, Ueber den norddeutschen Bund. Berlin 1866, p. 42. Destruere se potest ipsa ciuitas discreta ratione (pro constitutione emendandâ) praescriptâ ita ut unaquaque uniuersitas se dissoluere potest. Cui uiuere non placet mori licet. Quae in Art. V. Conf. Const. plane eodem modo ut in Art. V. Unit Const. disposita sunt ita tamen ut illic $^2/_3$ ciuitatum hic demum $^3/_4$ constitutionem emendare possint.

[28] talis generis Heluetia cum Rhaetis Generalibus etc. respectiue Heluetiorum ipsa foedera erant, cf. contra istius Const. arengam: in order to form a permanent federal government.

[29] Sect. I, 8, § 1. taxes, duties etc. ... to carry on the government of the confederate states.

[30] Regnum Canadense igitur ex anno 1867 partim ut Brasiliae Imperium ciuitas est solutissima iterum uero cum soluta ciuitate nempe insula Britannica coniunctum est. Atque totum igitur Imperium Britannicum uarietatem praebet quam si tabulam respicies „ciuitatem soluto. — solutissimam" haud falso numerari posse concedes.

[31] K. S. Zachariae, Ueber den gegenwärtigen politischen Zustand der Schweiz. 1833; Welcker, Ueber Bundesverfassung und Bundesreform. Leipz. 1834, p. 5.

[32] L. C. Aegidi, Die Schlussakten der Wiener Ministerial-Conferenzen, Berlin 1860, p. 14, p. 7. Zöpfl, Staatsrecht § 112. Etiam Zachariae, § 611. Staatsrecht. Rotteck & Welker, Staatslexicon, III, p. 78. Gerber, Staatsrecht, 1865, p. 24. Rönne, Preussisches Staatsrecht, 1856, I, 698;

praesertim autem Klüber, Oeffentliches Recht des deutschen Bundes, 1840, p. 116.

[33] Quae unitas nationalis summo emolumento in ratione status prae ceteris cp. discretis. cf. apud Brie, p. 57, verba Fr. a Gagern.

[34] D. Verfassung, Art. 11. Bundesverfassung der Schweiz. Eidgenossenschaft vom 12. Herbstmonat 1848, Art. 8 etsqq. Const. of the V. S.; etiam Deutsche Reichsverfassung v. 1849 § 6–9. Ceterum Montesquieu, Esprit des lois. L. IX. ch. 3. Duer, A course of lectures, Boston 1856, p. 23. Bouvier, Institutes of American Law, Phil. 1854, I, p. 177. Kent, Commentaries, N. Y. 1844, p. 226.

[35] Welcker, Staatslexicon, III, p. 84. Der Zweck des Bundesstaats kann vernünftiger Weise gar kein anderer sein, als der Staatszweck oder Nationalzweck selbst. Quod certo nimiam uim gerit. Iterum Seydel, qui potestatem ciuilem non esse contendit claris iuris fontibus contrariis risum prouocauit.

[36] Brie, Bundesstaat, p. IV prima. Etiam in Ciuitatibus Vnitis hoc positiue valet.

[37] C. Frantz, Theorie der deutschen Frage. Deutsche Vierteljahrschrift II, 1866.

[38] Bluntschli, Schweizer Bundesrecht, p. 518. passim in ciuitatis concretae formam incidere quae nunc sit Heluetiorum constitutionem per errorem vel quia Americae minus cognouit eo quo scripsit tempore institutiones dicit.

[39] De „rebus publicis" et coloniis in Nouo Mundo sileo solum Brasiliae nunc etiam Aegypti, Iaponiae exempla refero. Neque insulae Sanduichianae neque regnum Taïtianum omnino praetereundae. Contra reges Mosquitorum Araucanorum cum duobus alteris ordinibus uterque regnans in iure gentium iam non agnoscuntur.

[40] Quae in Americâ, Germaniâ simillime disposita in Heluetia ualde discrepant.

[41] Waitz, Politik, p. 177 C. D. etiam sine nuntiis popularibus scil. absolute organizari posse paradoxon ponit.

[42] Sic igitur ciuitates qua ciuitates in communi potestate repraesentari, id quod in secundo ordine composito tam clare non emerget apud Americanos, clare fit. Nam in Atlantide (cf. Walker 76, Rüttimann 129) ciuitatum quoque est an majoritate an pluralitate uotorum nuntii populares in centrum Washington mittendi eligendi sint statuere. Etiam an clam an palam eligendi sint a ciuitatibus pendet. Gloss. II, 124.

[43] De Francof. conuentu cf. Heffter, Völkerrecht, 1860, p. 40. Bluntschli, Staatsrecht, 1863, p. 444.

[44] Quamquam Helueticâ constitutione conuentus foederis socii „instrui" uetantur (art. 79) tamen Rüttimann p. 171 contrarium fieri probat. In Atlantide (Benton II, 572) et senatores et repraesentantes ex initio instruuntur.

[45] Kaiser, Schweiz. Staatsrecht, St. Gallen, 1858—60, I, p. 43

[46] Rüttimann, Ueber die etc. Progr. des eidg. Polytechnikums, 1862/63, p. III.

[47] Quod etiam Hänel, Studien, p. 268: talem diuisionem, postquam nullam esse maiestatem S. C. p. 241 edixit, postulat, se totum a ciuitate concretâ in Germania ponendâ stare probat.

[48] De instruendis senatoribus et repraesentatibus per C. S. apud Americanos cf. Webster uariis locis. III, 328; V, 425; V, 356.

[49] Imperatoris in Germauiâ saepe negligitur potestas ab ictis haec describentibus; tamen in illo quae Francofurti deerat regiminis stabilitas invenitur. Ille quidem quamcunque in legibus ferendis iure dicundo potestas eius restricta sit in administrandis rebus ex toto primus uidetur et quia concilium foederis cum diaeta populari ab illo conuocantur totius noui organismi anima habenda. In America Headly (p. 88) ueram gubernandi animam congressum esse contendit, quod non concedendum.

[50] De imperfecto tamen exsistenti modo huius superioritatis in America cf. Gardner p. 281: Congress may confer &c. but the States authorities cannot be compelled by Congr. to discharge such duties.

[51] Acrius Trollope, North-America, I, 310: in rebus externis eodem modo colligatas esse singulas in Americâ ciuitates quo in Britanniâ pagos (comitatus, the counties); contra Hurt-Binet, Neuf mois aux E. U. Genève, 1862, p. 141.

[52] „Droit de bannière", quod habebant Bienna et Nouum Castellum in priori Heluetia, urbs Dantiscanorum in Polonia. Heffter, Völkerrecht, p. 200.

[53] Indirecte, quia democratia illic solum repraesentatiua, in Coniuratione ob „referendum" pro pagis et pro C. P. ualens absoluta est. Cum grano salis hanc euentualem distinctionem iam ob id probes quia in Ciu. V. solum ditissimum quisque regnare constat, cf. N. Am. Review LXXXIII, p. 476.

[54] sic igitur Bismarckii illud „rempublicam" esse Sacrum Imperium declaretur. Sin uero maiestatem esse Foederis Conciliis ait, hoc et ob communes de propriâ (Grotii) maiestate errores, quorum permulti sunt participes, et ob comitatem in rebus publicis administrandam tam necessariam sed pro iure parum ualentem dixisse uidetur nobis.

[55] Prima post multum neglecta inter status et gubernandi rationes distinctio apud Hippol. a Lapide, De statu etc. p. 13. 17 inuenitur.

[56] Klostermann, Das geistige Eigenthum. 1868, p. 47; v. Lavergne-Peguilhen, Die conservative Sociallehre. 1868, I. Heft, p. 41—43.

[57] Praedixit A. von Treitschke: Die Zukunft der norddeutschen Mittelstaaten a. 1866, p. 7. Conditionem futuram ciuitatum Germanicarum a multis publicistis vitâ non idoneis pro ciuitate discretâ fore ut non haberetur.

[58] cf. uarias S. Curiae Americanae disceptationes in extenso excerptas cum commentariis a nobis edendas, praeter V. Ill. ab Holst apud Europaeos scriptores neglectas immo incognitas.

Variorum decentralizationis ad centralizationem progredientis graduum tabula.

Unitas			Gradus		
Suprema unitas maxime decentralizata scil. uniuersalis 1			1. Generis humani ordo qui omnia corpora et publica et priuata in se colligit		
Superiores unitates magis dezentralizatae 2—8			2. Ciuitatum iure gentium coniunctarum communitas		
			3. Foedus sine tempore		Foederum ordo 3—9
			4. Foedus ad certum tempus		
		Foedera perpetua 5—9	5. Coniunctio	Foedera sine maiestate	
			6. Congregatio		
			7. Consociatio		
			8. Confoederatio		
Media unitas aeque decentralizata atque centralizata 9			9. Ciuitas Discreta		Ciuitates dispositae 9—15
Inferiores unitates magis centralizatae 10—18.	Ciuitatum ordo 9—17	Ciuitates concretae	10. Ciuitas solutissima		
			11. - solutior		
			12. - soluta		
			13. - stricta		
			14. - strictior		
			15. - strictissima		
			16. Ciuitas firmato imperii modo carens despotice coërcita		
			17. Ciuitas apud agrestes recens orta unius gladio in tempus coërcita		
			18. Familia cum aliis familiis uagantibus anarchice uiuens per patrem familias contenta		
Infima unitas maxime centralizata scil. indiuidua 19			19. Personarum indiuiduarum ordo: Robinson in „Insula Desperationis.“		

Sunt foedera ciuitatis similia et ciuitates foederis similes. Quae omnia genera cum ceteris unitatum humanarum generibus hanc seriem undeuiginti numerorum producunt, in qua ciuitas discreta punctum indifferentiae significat.

Generis 5 exemplum Heluetiorum foedus cum uicinis (zugewandte Orte), 6 Heluetiorum ipsorum coniuratio ante a. 1798, 7 Batauorum ante a. 1795, 8 Germanorum ante a. 1866 foedera.

Iterum 15 generis hodiernas Galliam Daniam Lusitaniam 14 Italiam Hispaniam 13 Prussiam Russiam 12 Britanniam Belgium Batauiam 11 Austro-Hungariam 10 Sueco-Noruegiam reperies.

Et fere omnes uniones reales ciuitatem solutiorem, uniones personales solutissimam efficiunt; foedera non sunt, quia maiestas in iis est simplex quamuis bicipiter uel multipliciter exerceatur. Atque quamquam unio personalis foederis est simillima, confoederatio ciuitatis simillima tamen quin hic foederis illic ciuitatis elementa praeualeant dubitari non potest.

Sed sic inuicem propius progressae foedus et ciuitas ut scalae locus in quo unitas respectiua an foedus an ciuitas sit dubitandum exsistat necesse sit. Qui gradus scilicet transitus foederis in ciuitatem et uice uersa per ciuitatem discretam datur, quae an magis sit ciuitas an foedus dici non potest.

Nam etsi in genere 9 species discernis tres, et in specie 9 α et in specie 9 γ duarum notionum nempe foederis et ciuitatis elementa certare ita uidentur ut utrâque notione aptissimae res pleraeque in utrâque hac specie inueniantur.

Variarum specierum in tribus similibus unitatum collectiuarum generibus (8, 9, 10 praecedentis tabulae) scala.

7. Consociatio

8. Confoederatio
   - α. Foedus integrale
     Heluetia 1815—32, Atlantis 1776—81.
   - β. Foedus intimum
     Heluetia 1832—48, Foedera inaequalia Neapolionis I.
   - γ. Foedus leges ferens
     Atlantis 1781—89, Germania 1816—66

9. Ciuitas discreta
   - α. Ciuitas foederalis
     America 1789—1860.
   - β. Ciuitas foederativa
     Heluetia 1848—1873.
   - γ. Ciuitas imperio-foederatiua
     Germania 1871.

10. Ciuitas solutissima
   - α. Ciuitas disiuncta
     Germania 1648—1806, Osmania ex a. 1687.
   - β. Ciuitas dispersa
     Brasilia ex a. 1834, Sueco-Noruegia ex a. 1815.
   - γ. Ciuitas disiecta
     Polonia ante a. 1772, Mexicum ex a. 1822.

11. Ciuitas solutior

TYPIS EXPRESSIT GVSTAVVS SCHADE (OTTO FRANCKE).